

**Dissertatio quinta de humane machinae vitiis ad imum ventrem relatis ac
ejus maxime viscera afflagentibus ... / [Johann Friedrich Megenhard].**

Contributors

Megenhard, Johann Friedrich.
Camerarius, Elias, 1673-1734.
Universität Tübingen.

Publication/Creation

Tubingae : Literis Josephi Sigmundi, [1727]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/r77zuam>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

7

DISSE^TAT^O QUINTA
DE
HUMANÆ
MACHINÆ
VITIIS
AD
IMUM VENTREM RELATIS,
ACE JUS MAXIME VISCERA
AFFLIGENTIBUS.

Quam
Divina favente Clementia,
Amplissimæ Facultatis Medicæ jussu,

PRÆSIDE

ELIA CAMERARIO,
PROF. ORD. MED. ET CONS.

WIRT.

PPO LICENTIA

missusque in Medica Arte Honoribus consequendis,
publicè defendet

JOH. FRIDERIGUS MEGENHARD, Uracens.

Ad diem

Aug. A. MDCCXXVII.

TUBINGÆ, literis JOSEPHI SIGMUNDI.

EMMANUEL



PRÆFATIO.



Ui pluribus jam abhinc annis Academias
huic Celeberrimæ valedixeram, in eam
nunc postliminiò redii, ut Medico Stu-
diorum Cursui optatam imponerem
coronidem; Selegi eum in finem con-
gruum scopo meo Thema Disputationis Inaugura-
lis, utile in praxi, ac scitu necessarium quam ma-
xime. Deus favere cœptis hisce nostris clemen-
tissimè dignetur!

Q. D. B. V.

AFFectu Hypochondriaco nihil magis est complicatum, intricatumque, in illo enim incredibili varietate symptomata omnis generis conjunguntur, nunc plura nunc pauciora, ita tamen, ut vix nominare aliquod liceat, quod accedere ad quoddam illius sche-
ma non possit; uti verò symptomata incredibili diversitate inter se colli-
gata deprehenduntur, ita graduum ea quoque multiplicitas est varietas-
que, ut classes ejus speciesque infimæ tot ferè enascantur, conspiciantur-
que quot hypochondriacorum sese offerunt individua. Ut enim sexui

utrique commune est malum , illudque etiam fœminæ , bis quasi ob conexa arctius uteri vitia , patiuntur , ita & nulli hominum generi aut conditioni parcit , ipso mutabilior proteo , cum sub infinitis schematum varietibus eorum quoque in sinu ac hypochondriis , imò intima sanguinis diathesi latitat , quos sanissimos alii nullaque infectos labe morbo judicarent . Licet autem Eruditorum maximè habeatur morbus , qui sedentaria vita , lucubrationibus , nimia Spirituum assidua meditationum seriarum frequentia absumtione , ac depressione , vigiliisque eosdem nimis dissipantibus atque agitantibus , illius in se radices firmare solent ; alienatamen æque solet torquere atque occupare , cum & oriatur ab aliis rerum non naturalium excessibus ac abusibus ; quid enim frequentius est , quam videre affectum hunc proteiformem enatum in iis , qui vel voracitate nimia , vel vini ingurgitatione immodica , aut aliis ingestorum pravis qualitatibus eum sibi accersunt , aut frequentius etiam in iis , qui mœrore , tristitia , timoribus , frequenti iracundia , metuque anxio frequentius fatigant suos spiritus animales .

Ista verò molestiarum ac Symptomatum farrago *hypochondriis* adscribitur , quoniam in hypochondriis continentur illæ partes ac viscera , quibus origo mali potissimum tribui solet ; quæ scilicet , prout sanguineam massam variè filtrant , percolant , à serosa , ac biliosa portione abundantiore liberant , sicque sanguinis vigorem conservant , variè illum præparando , ac perficiendo , idque vel plenius , vel segnius , imò perverse agunt , eo ipso cedere solent cumulata illa Symptomata , cum scilicet eorum tonus rectè se non habet , chylusque & sanguis non , ut par est , perficitur , sed potius cruditates hic cumulantur , obstrunctiones gignuntur , visciditas humorum prævalet , indeque flatulentia enascitur , origo innumarum molestiarum ; sic facilè prædominatur , chylo degenerante & acescente , viscidum acidumque in primis viis , bile , quæ alias spicula ejus obviscare , obtundere , mitigare , imò infringere debet , jam inertiore , minus activa , visciore aut parciore ; vel ex adverso bilis exaltata nimis , acrimoniam concipit nimiam ac fervorem inducit humoribus , sanguine orgastico ebulliente , lienem distendente ac quasi obruente , in varias a-taxias atque aggestiones intempestivas ruente , qui etiam status flatibus suis stipatus est , aliamque & sibi convenientem exhibit scenam amplissimi hujus affectus ; prout igitur nunc sal fixius enixum prævalet sulphureo principio , ac volatiliori sali , aut acidum quoque huic prævalet , jungitur humoribus viscidis ac pituitosis , bilemque variè obtundit , varias que

que alias subeunt hæc principia heterogenea combinationes , status quo-
que variis Symptomatibus valde distinctus , in generalibus tamen affectus
hypochondriaci molestiis conveniens, exoritur , magis vel minus diutur-
nus , radicatus , ac molestus , gradibus innumeris varians , refractarius
plerumque , proteiformis , nervosum cumprimis Systema in consensum
trahens , cujus consensus & communes ligatique inter se plexus tam di-
versis per omnem corporis ambitum malis molestiisque simultaneis an-
sam præbent , in ipsos quandoque spasmos , fortiores nunc , nunc verò
mitiores erumpentes.

Non possibile est plenam affectus hujus descriptionem exhibere ,
ob innumeris istas variationes , aliqua tamen recensenda sunt ; digestio-
nis vitia , chyli cruditas , læsaque chylificatio potissimum ac primo loco
ponenda sunt , hinc & jejunii & à pastu ciboque sumto aliis affliguntur
malis , vel iisdem exacerbatis variè ægri , quorum quandoque appetitus
nimium augetur , aliquando naturalis manet , alias verò magis minusve
prosternitur atque imminuitur ; chylo interim rarò ad perfectiorem co-
ctionem deducto , & sub ipsa chyli præparatione molestiis quoque se exe-
rentibus ; nunc ventriculi ardore , nunc cardialgia exurgente , ventriculi
gravatio , pressionisque sensus , aut ponderis , inflatio quoque ejus , ructus
inde propulsi , vel cum vehementia , vel languidius quoque inde elu-
stantes , ac quasi exhalantes , imò vel manibus , ac variis corporis mo-
tionibus expressi , nunc acidi , nunc nidorosi , imò & insipidi , & varia
ratione ingrati , ac nauseabundi ; prout vel calida prædominatur causa ,
vel frigida , (hæc enim & præcipua est affectus *hypochondriaci* distinctio
per omnem praxin constanter attendenda) hinc phlogoses & à pastu &
in intervallis , vagi æstus , quandoque & horripilationes , anxietates tum
animi , tum corporis vitio magis excitati , à flatibus nunc , nunc à tensio-
nibus spasmodicis pendentes ; flatibus obortis , ac rugitibus murniuri-
busque se manifestantibus , ac torquentibus molestè ægros , etiam cum
parciori cibo fuerint usi . Accedunt quandoque vomitus tum ventriculo
à contentis irritato , gravatoque , tum à consensu , spasio aliunde tradu-
cto , tum flatibus irritantibus , tum nausea oborta , tum & affectibus ani-
mi variis ; ejiciuntur verò & cibi , & cruditates , biliosæ , pituitosæ , se-
rosæ , acres , varii coloris , saporis , consistentiæ ac fætoris . Tarditatem
alvi potissimum accusant hypochondriaci , & molestissimas fecum exclu-
siones , imò extorsiones , expressionesque ; sunt ex adverso quos fluxilior
vexat alvus , in quibusdam à levissima occasione datâ in cibo , potu , au-

ra frigida, corporis denudatione statim rediens, in aliis rarior; ita ut & sint, qui & adstrictione pertinaci, & intempestiva laxitate alvi torqueantur æqualiter distinctis temporibus, nullamque servante mediocritatem, quin ipso hoc tempore aliquem observavi, qui duriora cum labore scybalia manè quovis egerit, per diem diarrhoea aliquoties succedente, altero autem durioribus scybalis redeuntibus, & sic porrò diutius continuante paradoxa egestione; Urinâ hypochondriacorum nihil mutabilius, nihil magis varium; nunc copiosa profunditur, nunc parca, imò parcissima, hæcque eadem sibi die possunt succedere, potissimum à pastu largior, & limpida sæpe instar fontanæ cernitur; aliquando & naturalis, aliâs tinctior, nunc cum, nunc sine sedimento, nunc clara, nunc turbida, arenulis ferè ordinariè scatens rubicundis, cinnabarinis, passim innatentibus, ac se vitri quoque lateri affigentibus.

Dolores omnis generis patiuntur hypochondriaci, et si plures essent possibles, de pluribus aliis ac novis quererentur; ita tamen ut quidam etiam excipiuntur, ad minimum intervalla sua habeant, in nonnullis satis diurna, quibus de dolore nullo conqueruntur, aliis perpetuæ insistentibus querelæ; nunc ipsum dolet hypochondrium, à flatibus, sanguinisque aggestionibus ortis variis tensionibus, in liene, in colo, in mesenterii ac mesocoli plexibus, aliisque locis vicinis, nunc in dextro, nunc in sinistro latere exferente se dolore, & migrante subinde ab uno in aliud, vel utrumque simul occupante ac stringente, nunc tensivo, nunc gravativo, nunc punctorio, imò & pulsante quasi dolore, ac subinde ardore; juncto nonnunquam tumore, inflatione, nunc pertinaciore, nunc vago, citoque evanescente, ac sæpe redeunte, cum æstu & tensionibus variis, variè se extendentibus, & cum aliis partibus communicantibus; nec abdominis inflationes crebræ, tensiones flatulentæ, tormina varia defunt, nunc umbilici magis regionem infestantia, nunc & extensa sursum ad ventriculi regionem, ac deorsum ad hypogastrii pubisque partes, trætis in consortium lateribus, imò dorso, sacro osse, lumbis, & coxa, sternno etiam quandoque ac scapulis in consensum pertractis; ut taceamus frequentes artuum dolores hypochondriacis evenientes, & nephriticos quoque hinc enatos, ac combinatos; cephalalgia ipsis frequentissima est, aliquique supremi ventris dolores, ac catarrhi, vertigines quoque, aurium tinnitus &c. Gravissima quoque alia in malo graviore ac diurniore accedunt mala, cacochymia, scorbutus, cachexia, icterus, colica, hydrocephalus omnes species, tabes, marasmus, epileptici insultus, apoplectici denique ipsi haud raro colophonem imponunt malo.

Men

Mens in affectu *Hypochondriaco* plurimæ patitur, omnes animi affectus motusque sunt in iis magis inquieti, ob similem spirituum dispositionem, inde & ad munia sua obeunda sunt tardiores, minus prompti, ac ineptiores, (quoniam & eò lassitudo corporis justo major conjuncta conferat) Tristitia verò & frequentius & gravior eos affigit, transitque saepius in *Melancholiā hypochondriacam*, malum molestum ac diuturnum, cuius uti plurimi sunt gradus, ita eorum tamen & varietas & major minorque intensio radices suas habent in suprà memorata sanguinis ac primarum viarum dispositione, quæ in animales quoque Spiritus transiendo istos phantasias vel errores, vel labores, ac passiones efficit; unde & facilitas ad lachrymas, earumque saepè ubertas sequitur, in sexu maximè fœminino, in quo hysterica mala cum hypochondriacis arctissimè uniuntur, prout menses vel tardiores, parcioresve sunt, vel penitus sunt detenti ac obstructi, vel etiam cum nisu ac doloribus enormibus fluant, aut nimio fluxu spiritus debilitant, ac dissipant. Utrique verò sexui eadem ferè imminent symptomata etiam præcordialia, dyspnœæ, asthmatæ, tuſſes, cordis frequentes Palpitationes, imminentes lipothymiae, etiam quandoque supervenientes, & capitis supra jam tacta, quibus & addere juvat narium hæmorrhagias, & quæ frequentissimè quoque in his subjectis eveniunt motiones hæmorrhoidales, vel inanes & in nisibus subsistentes, vel & apertis hæmorrhoidibus fluentibusque, aut etiam cœcis ac dolorificè tumentibus sine fluxu, aut tandem sequente illo, haud raro immodicis excretionibus in calidore sanguinis ac ad fusionem & orgasmum prona dispositione. Febris facile tentantur epidemicè grassantibus, ac recidivis quoque facilius quam alii expositi sunt. Habitus corporis hypochondriacorum est diversissimus, cum macilenti alii, ac tabidi ferè, alii carnosiore habitu, imò & obesiore paulò existant. Malum suas habet exacerbationes ac periodos, etsi minus statas; etsi & cum Lunæ phasibus, ac tempestatum variationibus solstitialibus, & æquinoctialibus connectionem aliquam habere visas.

Cæterum de sanguinea eorum massa, hujusque constitutione vix judicabis congruè ex sanguine è vena secta emisso, cum ille saepè elegans, floridusque, imò nimis floridus compareat ob orgasmum, cum pejus habent, & fœdum referat spissior colorem, mitius urgente malo. Nihil verò eos lædit gravius, quam vitia diætæ, cibi viscidi, dyspepti, crudii, crassi, falsi &c. Vina acida, nimis calida ac spirituosa, nimia quantitate hausta, cerevisia non fermentata vel ad acorem desciscens & inclinans;

nans ; animi gravia pathemata ; excernenda intempestivè retenta &c.

Juvant autem plurima pro causarum & graduum varietate , animi corporisque congrui motus . Acidulæ prudenter adhibitæ , neque enim omnibus æquè ac promiscuè sunt utiles . Purgantia lenia aliis præferenda , nec tamen omnibus indiscriminatim exhibenda . Emetica multa cum circumspetione , nec promiscuè danda , respiciendo ad toni ventriculi firmitatem residuam adhuc . Cæterum convenient stomachica , absorventia , blanda adstringentia , Martialia mitiora , aperientia , nervina , roborantia , carminativa , aromatica leniora , enixa salia , nitrum , cinnabarina , tonica varia &c. Diæta cuivis dispositioni ac temperamento congrua instituta . Quæ autem reperta memorant authores in cadaveribus defunctorum post diurnas affectus hujus chronicæ passiones , de tristibus potius ejus effectibus instruere nos poterunt , quam de genuinis mali causis ; quæ inter referuntur , flaccidus ventriculus , tumida intestina , induratum pancreas , scirrhosum mesenterium cum suis glandulis , ac subinde hydatidibus quoque , lien (cui plurimi omne hic malum tribuunt) sæpius illæsus , quandoque etiam durus , corruptusque , uti & hepar ; vasa infarcta ; polypi &c.

Hæmorrhoides cum affectu Hypochondriaco connexionem habent peculiarem , sive cœcæ illæ sint , sive apertæ , uterque enim status cum infimi ventris viscerum ac vasorum habitudine vinculo arctissimo colligatus est , uterque ægrotis sæpe molestissimus , cœcarum quidem hæmorrhoidum doloribus sæpe redditis quasi intolerabilibus , apertarum verò immodico fluxu periculum ac graviora minante , æquè ac intempestiva earundem suppressione .

Uti verò hæc de hæmorrhoidibus doctrina magni est momenti , ita penitus in eam inquirere , ac certiora de ea tenere principia interest dissentium . Sunt enim notanda hic non pauca . Et cœcas quidem hæmorrhoides adscribunt authores meliores venis hæmorrhoidalibus externis , quæ ramuli sunt cavæ venæ , apertas autem suumque effundentes laticem hæmorrhoides internis potius , venæ portæ ramos constituentibus ; quæ quidem utut frequentius ita sese habeant , haud dubitandum tamen fuerit , cœcas hæmorrhoides , quæ ab externis ramis provenientes tactui se visuique suo tumore ac dolore exterius manifestant , posse quoque accidere circa internalum hæmorrhoidum vasa , ibique formatis aggestionibus ac collectionibus analogis summas sæpe ægris creare molestias , eò tamen occultiores , suspensumque tenentes sæpe medici animum ,

animum , quò minus eò vel visu vel tactu attingere , docta que solum conjectura penetrare in abdita ista naturæ laborantis molimina licet ; pariter & fluxus hæmorrhoidum frequentissimè equidem ex internis hæmorrhoidalibus proveniet vasis , sine exclusione tamen externorum , quæ suum quoque effundere laticem vel ultrò , vel variis excitati apertique stimulis possunt.

Tumor scilicet vasorum & quidem adeò dolorificus contingit , cum aggestio sanguinis fit circa hæc vasa , sanguine ea promptitudine & copia non refluente per venas , quâ appellit per arteriarum surculos , hinc sanguis ille , sive jam sit spissior aut tenacior , sive tenuis , orgasmicus , biliosus , aut flatulentia quasi turgens huc congestus , nec , ut par est , progrediens , distendit ramos illos hæmorrhoidales , inæqualiter quidem tumentes propter valvulas , incurvations vasorum ac situm eorum varium inter alias partes ; & ab ista potissimum intumescentia , nataque hinc fibrarum nervearum tensione emergit dolor ille cœcarum hæmorrhoidum saepe intolerabilis , ita tamen ut nec rosionem atque irritationem acris illius sanguinis stagnantis excludamus , qui sic in inflammationem saepe ruit , imò & suppurationem , si diutius constrictus sanguis viam , qua elabatur , reducaturve haud inveniat ; aliâs enim , disposito eo mechanismo microcosmico , perrumpit ramulos minores , turgescens sanguis (ita ut vix opus sit , reserationem vasculorum semper ab acrimonia feri aut bilis morsicantis , & domesticum abstergentis parietum mucum repetere) atque extillat parcius largiusve quâ data porta . Ad varium verò hunc sanguinis vel tardantis , ac dolorem inferentis , vel fluentis statum conferunt , uti partim jam attigimus , partim triplex quasi species orgasmi , quorum unus vascula blandius aperiens leniter inde ac justa extillat proportione , alius ea perrumpens ultra modum largius profunditur , alias denique distendens vasa , urgens latera , convellens fibras , doloremque ac cruciatum inferens enormem , ita tamen , ut vasa maneant pertinaciter occlusa , neque iste tantum faciens in fibras tensas impetum sanguis ulla ratione extum moliatur , etsi delinientibus variis , imò & stimulantibus frictionibus eum ad egressum invitantibus ; partim contribuit ad istas motus sanguinei anomalias variantes , varia vasorum dispositio , fibrarum tensio , laxitas diversa , sensus fibrarum delicatus , nata hinc contorsio spasmodica irritationem augente distensione , dilatatione vasorum ac viciniæ , seu fibrarum iis connexarum , contiguarum & continuarum , unde sanguinis i-

Systemate vasorum Mcsaraicorum ac hæmorrhoidalium congestiones, ataxiæ, ac tendentiæ diversæ, vasis quoque nimium distentis amittenti bus fibrarum tonum ac elaterem, unde jam minus promoveri queat sanguis in vena tali dilatata accumulatus. Orgasmus verò ille non tam sero bilioso acri, quam sanguineæ massæ integræ turgescenti & orgasticæ, vasorumque gravanti systema adscribendus est; effluensque etiam sanguis de massæ reliquæ dispositione ac crasi testatur, unde & sæpe floridus prodit, etsi à mora stagnationis majori vel breviori pendeat coloris varietas.

In utroque igitur hæmorrhoidum genere fit aggestio sanguinis circa illa loca, ac collectio ejus, effluentis quidem ex apertis hæmorrhoidibus, sive jam adsit simul protuberantia vasorum turgidorum & intumescentium, sive absit illa, collecti autem, ac stagnantis pertinaciter in cœcis, ortis inde nodis vasorum quasi varicosis, tuberculis paucioribus, vel pluribus etiam, satis interdum magnis ac figuræ non unius, dolentibus quandoque, & diversissimo quidem doloris gradu tumoribus illis, alias vero & sine dolore observandis; alia mariscarum & condylomatatum ratio est.

Tumentibus verò hæmorrhoidibus haud statim determinaveris, an cœcæ eæ sint futuræ, an aperiendæ ac fluxuræ, cum etiam iis intumescant, nunc diu, nunc brevius, nunc cum dolore, nunc sine dolore, quibus fluere solent: etsi non eadem semper succedant promptitudine ac facilitate; cœcæ verò intumescunt sine subsequente fluxu vel apertione vasorum, et si anxiè sæpe quæsita, optataque; occasionem præbentibus vel externis quibusdam pressionibus ac violentiis, uti equitatione diurna in iis, qui ei assueti non sunt, vel interno etiam sanguinis orgasmo solo, aut consistentia ejus spissiore ad circulationem promptam minus apta vel propter gelatinescientiam, vel propter visciditatem ac tenacitatem; alvus quoque frequentius ac pertinacius adstricta, indeque expulsæ magnis conatibus fæces duræ ac intractabiles excitationi tumorum istiusmodi dant ansam, & quandoque partus laboriosior puerarum. Hinc varium quoque exhibent schema ac figuram, nunc referentes varicosam venam, ac nodosam, nunc simplex referunt tuberculum; unde & forsitan quibusdam pro anprocidentia aliquali poterunt haberi, ab aliis pro initio cujusdam abscessus hic colligendi, (possunt enim hic abcessus oriri tum per se, tum ex cœcis hæmorrhoidibus) potissimum tamen comparente tumore molli, lividoque; si autem doleat, vehementer sanè dolet, auctis tormentis non à motu saltem quocunque, sed & ab ipsa sessione, unde novimus, qui diutissimè genubus innixi vitam inter dolores traxerint immanes, ægrotos; tum enim non nudum ac molle tuberculum est, plerumque junctum cum inflam-

inflammatione , quæ vel discuti iterum ac dissipari potest , discusso sanguine stagnante ac resorpto in vascula , viamque circulationis massæ reliquæ , aut inveniente exitum , dum aperiuntur fluuntque hæmorrhoides , vel induratur tuberculum humore in illo inspissato ac congelascente quasi , vel etiam more plurimarum aliarum inflammationum , ubi sanguis plenius stagnans moramque trahens abit in putrescentiam atque in abscessum , eò cautius , curatiusque tractandum à Chirurgo , quò facilius neglectus istiusmodi abscessus , nec citò satis atque ab ipsis radicibus ac fundamento suo percuratus abire solet in *ani fistulam* satis dein daturam molestiarum , inducto lateribus ulceris callo , indeque nata effluxione puris perpetua ; ut taceamus exempla transeuntis in gangrenam sphacelumque hujusmodi inflammationis.

Præter verò insignem ipsarum hæmorrhoidum cœcarum dolorem , alia illas mala sequuntur partim & comitantur , ingens lassitudo , dorsi ac lumborum quoque dolor , febrilia symptomata , æstusque , ac horripilationes quoque aliquando , dyspnœam etiam inferunt , & anxietates , varias stricturas spasmodicas , imò ipsos in *άκυν* motus convulsivos , innumeras molestias aliâs hypochondriacas dictas , maciem , pallorem , cacochemiam , cachexiam , phthisin , hujusque præambulam hæmoptysin sanguine in pulmonibus inveniente negatum in ano exitum . Prodesse censentur venæ sectiones in pede instituendæ ; aloëtica fluxum promovere apta censentur , non tamen semper in cœcis tutò danda ; aliis aperitivis multum præferendis maximè in paroxysmo tam dolorifico , ubi temperantia , delinentia , paregorica , emollientia , ex verbasco , linaria , scrophularia variè adhibentur internè , externèque applicantur in fomentis , sacculis , linimentis , unguentis ; quò & commendant tanquam sedativum factum ex theriaca linimentum cum cæpis ; internè addenda absorbentia , diluentia , temperantia , orgasmum sedantia , refrænantia , nitrofa , papaveracea &c. pinguia quidam commendant , quidam arcent , variantibus tamen casibus variè pronunciandum , hæcque cum aliis combinanda pro re nata , maximè si appareat non amplius discutiendam esse inflammationem , sed abiuram in abscessum . Quid verò dicendum de apertione ? illa sanè non facilè scalpello tentanda ob mala inde metuenda , passimque observata . Cæterum hirudines & præservativè sedi applicant alii & curativè ; quidam & lenes commendant frictions .

Hæmorrhoidum aperiendarum eadem quæ initia quædam & occasions est ratio , cum & præcedere plerumque soleant vasorum intu-

mescentiæ, cum vel sine dolore, imò & cum pruritu quodam, (etsi quandoque sine his præambulis succedere ac fluere soleant) dante occasionem vel causa externa, motu, frictione assidua, aut pressione inter equitandum, aut alios labores, à purgantium, maximè aloëticorum abusu, eò autem gravius à violentis scammoniatis, colocynthicisque excitantur, etsi hæc cruenta excretio symptomatica sit, nec referri ferè mereatur ad periodicam hanc & suo modo criticam salutaremque saltem intentione, ut sic loquar, naturæ.

Neque omnibus promiscuè hominibus fluunt hæmorrhoides, ipsæ quoque nationes in hoc differunt, inter nos vix tam frequentes sunt ac in Italia, unde & nostri homines, nihil his in terris sentientes istas in regionibus illis motiones ac tendentias, imò & eruptiones facile experiuntur; nam & inter nos longè plures tendentias illas hæmorrhoidales & ad ista loca tendentes nisus sentiunt, quām quidem revera fluxum illum patiuntur aut consequuntur. Sexus verò uterque istis ad hunc locum aggestionibus subjacet, cum & fœminis contingent, non solum obstructis mensibus fluentes & aperiendæ, sed & sine isto defectu, sua sponte in intervallo illo, imò & tempore eodem ferè, & post illos, sed hæc omnia haud adeò inter nos frequenter sèpius saltem tendentias illas, & cœcarum hæmorrhoidum nisus experiuntur mulieres.

Patiuntur autem hæmorrhoidalia ista potissimum & præ aliis hypochondriaci, & scorbutici quoque, paucis ii omnes qui orgastico gaudent sanguine, aut simul viscidulo, acri, turgente, in numerosissimis abdominis vasculis tardius moto ac impediendo facile, quò biliosa dicta dispositiō confert, imò & illa quam vocant atrabilariam, unde mirum non est, si frequentius obtingant in calidore regione, viniq[ue] calidioris usu; status verò ille orgasticus aliis dicitur plethora, plethora autem non pura, sed vel biliosa, vel serosa, vel cacochemica, quæ orgasmum potius dicit quām veram plethoram, & juncta cum visciditate humorum innumeros vasculorum obstructionibus, viscerumque oppilationibus ansam subministrat ac materiam uberrimam.

Non verò eadem hæmorrhoidum etiam succendentium ratio est, cum pauciores sint ii, quibus fluxus ille ita sit ordinarius, ut certis definitisque redeat periodis, & quidem menstruis; plerique enim incertam in se deprehendunt excretionem, vix annuo quandoque spatio recurrentem, vel alio quocunque vago tempore, & prorsus inæqualibus intervallis, quandoque & rarissimè, prout scilicet occasiones, motionesque ex-

ternæ, vel internæ etiam causæ ac tendentiæ dederint occasionem frequentiorem, aut rariorem; ita ut in plurimis sola sæpe tendentia, gravatio, ac pruritus subinde in his partibus sine ullo unquam, aut cum paucissimis etiam ejus guttulis, sanguinis profluvio.

Est & quandoque aliquid ea in re hæreditarii, tractaque à parentibus dispositio, allegatis supra occasionibus externis, internisque eam excitantibus ætate paulò regulariter adultione; ubi autem semel tendentia ad has partes invaluerit, aliquid quoque consuetudinis enascitur, perpetuòque dehinc consuetam viam tendentiamque sub orgasmo quovis affectat aut stimulo, uti circa omnes observamus excretiones, naturam trias jam aliquoties vias ac motiones haud facile deserere, sed ad locum semel apertum facile novo se conatu determinare; cumque in ακμῇ ætatis, & abundantia illi competente succorum eveniant, patet appropinquante senio ac orgasmo proin & plethorico habitu cessante eas desinere, nisi caloris abundantia, æstusque sanguinis suppleat ætatem, aut ejus nimia vel acrimonia, vel cachecticus quispiam fluor ultra consuetos terminos talem cieat excretionem non amplius vel congruam, vel tempestivam; etsi verò fluxus succedens avertere alia mala, corporique proficuus esse soleat, sive floridior ille prodeat, sive serosior, imò & nigredine quasi conspicuus, attenti tamen ad rem suam esse debent istiusmodi hypochondriaci his fluxibus obnoxii, ac invigilare ne turbent hoc naturæ molientis negotium reprimantve intempestivè, æquè enim hoc ipsis foret noxium, ac mensium cohibitio fœminis esse solet, imò ferè magis, cum fluxus iste jam orgasmos præsupponat in sanguinea massa, & acrimoniam plerumque visciditatemque habeat comitem, facileque, nisi circumspectè se gerant transire possit ipsorum status in Cacochymiam, imò cachexiam graviorem, aliaque mala; quemadmodum & diurna mali habitudine, crebroque irritatis his partibus variæ enascuntur molestiæ, subinde & ipsa ani procidentia sub tenesmode urgentia & egestione sub nisibus hæmorrhoidalibus, imò & partium illarum inflammatio gravis, facile transiens in gangrenam nisi maturo obviam eas consilio, vel natura adhuc vigore aliquo suo par sit resistendo, sæpe enim à crebrioribus illis, & largioribus fluxibus debilis fit æger, consuuntis viribus, carnisbusque.

Fluxus verò magis contingit tempore verno, atque autumnali, etsi & indistinctè evenire queat; fluunt autem ex vasis vel internis, vel externis, ex his etiam quandoque conspicuo modo, guttatim, imò rivu-

Io pleniore, aliquando & internæ & externæ simul aperiuntur ; utrarumque crux prodit vel ante, vel post alvi dejectionem, fecibus quasi tinctis sanguine, aut hoc illis adhærente, vel guttularum forma comitante aut sequente, variè à scybalis impedito, aut etiam magis quām par est irritato, & promoto ; flatibus quoque rem subinde turbantibus, quibus potius adscribendus videtur sibilus, quem adscribere nonnulli videntur hæmorrhoidum sub hoc statu effluxui. Quanquam & purus sanguis subinde sine fecibus excernatur, stimuletque alvum ad sui depositionem. Quantitas enim sanguinis, quæ hac via egeritur, valde est inæqualis, pro orgasmi intensione, abundantia sanguinis sub aggestione hac, hujusque majori nisu, ac humorum acrimonia, fluxilitate, ac ipsorum quoque oscularum apertorum moderamine, patentia, ac laxitate ; proque ipsa diætæ varietate, omnia enim calidiora, sanguinem in tumescentiam adgentia, augent fluxum.

Imminentis fluxus indicium ajunt esse dolorem & ardorem dorsi, imò & ipsius abdominis, sed incerta & hæc sunt utriusque hæmorrhoidum nisu, & efficaci, & inani communia ; Melancholicos autem, aliasque hypochondriacos egregiè sæpe juvat ac solatur ille fluxus, avertendo morbos, vel imminentes, vel jam præsentes ; Præprimis melancholicon symptomatum inferens mitigationem, uti & maniacos inde sedatores factos testantur observationes &c. Uti verò jam monitum est, circumspecto diætæ regimine, usuque moderato rerum non naturalium indigent, quicunque hoc tenentur fluxu, vel eum optant, aut præstolantur, sentientes tendentiam ad has partes sanguinis turgescentis ; inter remedia verò variis scopis martialia commendantur, anticacheœtica, tonica, absorbentia, roborantia, orgasnum intempestivum ac nimium tempestantia, paucis, sanguinis consistentiam, mixturamque laudabilem conservantia, cum uti jam diximus soleant hi fluxus sensim post se trahere pravam humorum dispositionem, etsi suo modò utiles, & si maneant intra terminos remediis haud indigentes.

Hepatis morbi sunt conjuncti cum summo periculo ob visceris hujus nobilitatem, arctumque cum vita nexus, dolendumque est ea visceris tam insignis mala cum manifesta fiunt, eamque in lucem prodeant, ut de illorum præsentia haud amplius dubitandum sit, plerumque esse in statu pessimo, vixque ullam Medici admittente opem, tum verò, cum in principio suo sunt, ac sua quasi parant rudimenta, ac radices figunt, quam maximè lateant, occultaque sint adeò, ut quandoque de iis ne per somnium

nium quidem vel æger cogitet , vel Medicus , cum in iis initiis non tam in hepatis regione turbas sensibiles , molestiasquè exhibeant , sed plerumque alibi per consensum nervorum , humorumquè , suam ludant tragædiam , habent enim suos gradus quamplurimos , ac variationes insignes . Nec raro accusatur hepar , ob exserentia sese in illius regione ac vicinia incommoda , quæ tamen ad ipsum illud viscus minimè spectant , sed vel reni , vel intestino , aut diaphragmati , mesenterio , imò abdominalis musculis , aliisve partibus accidunt . Unde etiam signa hepatis in tono suo labefactati ac debilitati , adeòque malè satis habentis , desumere cogimur à signis satis incertis ac fallacibus , uti notorium est , quod petantur talia à colore cutis , ac facie potissimum , ab excretorum diversa dispositione , corporisque habitu , incremento , ac decremento , qui omnes signorum fontes communes sunt tot aliis affectibus , ut nihil certi statuere circa hepar ex illis liceat . Si enim acutè laboret hepar , fieri aliter non potest , quam ut in totam mox sanguinis massam , corpusquè universum lustræ diffundantur , febrequè continua ex ardescente jam non integrum est discernere domesticum hepatis malum , latens sub tantorum symptomatum impetu , vel saltim aliis æquè adscribendum partibus : ac circa illas aggestionibus sanguinis . Si verò chronicum sit malum , illud tam occultè , lentèque , per cuniculos quasi serpit , ut vel penitus lateat ad *άκμην* usque mali incurabilis , vel saltem dubiam sui existentiam obscura quadam subinnuat lucula , vel umbra potius , & tardè quidem , cum tollere radices mali jam altius progressas , diffusasquè , non amplius liceat ; vel si etiam cognoscerentur talia mala , ita tamen comparata sint , ut vim artis plerumque eludent , spernentquè omnem , paucis quibusdam molestiis exceptis , quæ ad hepar ferè solum non pertinent .

Nonnunquam enim in ipso hepate initium mali est , ac primaria origo , nonnunquam autem aliunde ipsi demum imprimitur ac communicatur præcedentibus aliis queis tum demum hæc accedunt , morbis , tum febrilibus tum aliis . Semper tamen humorum vitia suberunt , sanguis ea copia perluit hoc viscus , ut non possit non omnem suam labem , crassinque illi communicare , lympha ea quoque abundantia in hepate secernitur , ut de illa æquè ac de sanguine possit dici , eorum dispositionem plurimum ab hepate pendere , malè ab illo pravè affecto affici , illudque vicissim graviter saepiusque afficere ; quod & de bile , secreto in hepate succo certum est , bilis enim & noxam ab hepate suam trahit , & mala sua propria hepati imprimit vicissim profundissimè . Omnes ergò hi humores

mores agunt variè in hepar , varièque ab eo patiuntur malè affecto.

Ex eo autem vix multum pro sanatione morborum hepaticorum didiceris , quod sectione cadaverum tam varia ejus detegantur vitia , ipso ejus parenchymate nunc indurato , nunc pallescente , ac livido , nunc corrupto , imò putredinoso , hydatidum agmine , lymphaticorum vasorum sobole , conspersum , tuberculis callosis , tophaceis , crudis , ac suppuratis , abscessiformibus repletum , in molem immensam auctum , calculis quoque , imò vermis obsitum ; hæc enim omnia vivente ægro manent occulta , post mortem detecta nihil prodeesse queunt , si prius autem vivoque ægro conjectura Medica erudita sui suspicionem inducant probabilibus detecta signis , ac symptomatibus , vix talia sunt quæ ullam admittunt opem salutarem aut sanationem radicalem ac constantem ; pleraque etiam sub finem demum chronicorum istorum morborum ita formata , istumque , in statum mora ipsius mali detrusa sunt , funesti effectus latentis diù mali . De obstruktione Hepatis multus apud ægros , Medicosque sermo est , nec dubitandum est viscus hoc nunc in paucioribus , nunc in pluribus parenchymatis sui partibus obstrui posse ac solere , scilicet posse & glandulosos ejus acinos ac vasculorum teneræ complicationes , & lymphatica queis obtegitur frequentissima vasa , & bilariorum ductuum rami , vel sanguiveha etiam vascula utriusque generis obstrui , sive ob viscidorem sanguinem , ac impura mucilagine imbutum , sive ob pituitosum lymphæ spissescientis mucum , aut tenacis gluten acre bilis , aut ob tartareas , quæ in tenuissimis à sanguine dimissæ vasculis tophacea viscus infarciunt concretione , moleculas , quæ omnia in vasculorum interstitiis eò promptius hærent , atquè concrescent , quò elater fibrarum debilior , remissiorquè fuerit , & ad promovendos in circulo suo secretorio succos robore ac vigore prædictus fuerit minore . Quanquam in conjecturis plurimquè mali hujus agnitus subsistat , accusatis obstruktionibus plerumque , haud inveniendis in viscere , iis verò haud agnitis , quæ omnem ejus ambitum reverà multiplici viarum obstaculo occupant .

Eadem incertitudo doloris est , non quæ sensum ipsum , sed quæ locum , subjectumque doloris ; sit enim in latere dextro dolor gravatus in hypochondrio dextro , imò & conjunctus ille cum intumescentia quadam atque inflatione , erit juxta Semioticæ regulas suspicio de dolore hepatis , qui forsan colo rectius , aut alii parti vel membranæ vicinæ adscriberetur , coli enim tumorem facilius ligatura constringes , reprimesque dolorem inde natum , quām hepatis dolorem ; multo magis

si vagus sit dolor , dextrum modò , mox sinistrum occupans latus , quem eò minus adscribes hepati , quò evidentius ad alias se extendit partes ac regiones ; neque ista tamen dicuntur , ac si dolores non posset pati hepar , de hoc enim dubium est nullum , sed quoniam difficile est dolente illo hypochondrio præcisè determinare , an hepar doleat , cum tot aliæ partes sensiles eadem regione concludantur , quarumque dolor effectus post se trahit ratione periculi diversissimos . Obtusus sanè dolor à mole grandescentis , obstructiè visceris , ab humorum incompleta stagnatione seu tardiore per illud motu , nervorumque pressorum torpore , obstructisque inæqualiter ductibus , & humorum simul juncta turgescientia aliquali potest omnino oriri , sed potest is quoque esse à colo , per consensum à rene , aut alia parte vicina . Dolor acutus atque inflammatoriæ originis , rarer equidem , accidere omnino hepati potest , sed & hic incertitudo perpetua est , ob diaphragmatis maximè viciniam . Alvus obstructa , vel aliis laxior atque prona ad diarrhoeas eo incertiori indicio allegabitur in doloribus hepaticæ regionis , quod cum hepate illa nexus haud habeant necessarium , saltem cum intestino majorem . Vomitus anxietate urgentes ingenti , ac nigricantes , non tam certitudinem affecti hepatis , quam periculi imminentis , quocunque etiam existente mali subiecto indicant .

Agnoscunt enim Authores in exquisita etiam *hepatis inflammacione* , quæ vel in *hepatitide* universum occupat hepar , vel partem ejus in *vomica* , aut *abscessu* quodam cum majori evenit , exardescitque dolore , ac continua , acutaque febri , agnoscunt , inquam , semioticæ Scriptores symptomata in hoc inflammatorio statu hepatis esse pleuritidis æmula , ac pro pleuritide facilè haberi (adeò incerta est specialior ac præcisa diagnosis) cum tussis urgeat , punctorius , acutusque adsit dolor , ac difficultas insignis respirationis , ardore se latius in latere extende ; neque verò semper jungitur tumor ; sitis autem maximè urget , ac vomitus quoque ; urina flammea ac tincta valdè emittitur ; Si quid verò adhuc valeant remedia in malo latente ac gravissimo , id consolationis tamen suppetit ægro , medicoque , etiam ea , quæ prudenter opponet exquisitæ pleuritidi , quam mentitur tum occultior affectus , neque huic fore inepta aut inefficacia ; venæ sectio scilicet in principio morbi adhibita , bezoardica , blanda pectoralia , demulcentia , aperientia , diaphoretica fixiora , nitrosa , roborantia &c. Si verò de malo sis certus per signa , Chirurgica tamen Abscessuum , ac vomicarum ad externa protu-

berantium apertio , istaque methodo sanatio successus est rarius , nec omnibus sors D. le Blanc , *Ministri Gallici* , obtingit , plerumque enim ita prius invaluit Cachexia , aut necrosis in statu acuto tam subitam inducit putredinem , ut aperto etiam abscessu omnia in pejus ruant , ac mors praesentanea instet . Cæterum abusui Spiritus vini mala hepatis singula transcribuntur frequentius , ista enim calida inebriamina adeò accendunt sanguinem , aduruntque , obstruunt & siccant viscera , ut infesta talia sequantur abusum illum symptomata ; de violentiis externis nihil addemus , quæ omnino contundendo quoque graviter laedere hepar ac irritare queunt .

Celebris quoque est *Hepatis scirrhosus* , atque induratio parenchymatis ejus , qui potius diurnas , chronicasque visceris obstructiones infarctusque sequitur , quam hepatitidem atque inflammationem (etsi & haec mortem non semper inferat , adeoque ad minimum possit abire in indurationem) adscribitur à quibusdam lymphaticorum vasculorum crispaturæ saepe juncta hydatidum genesis , ad minimum istæ vesiculæ vasorum illorum dilatationes haud male referunt , tuberculorum vero durties glandularum subsidentiae , mallem dicere , vel oppilationi , vel compressioni ; quæ universalior facta visceris augere molem ac vastissimas illi addere poterit scirrhosas dimensiones gelatinoso viscidoque sero sensim siccato intra tubulos , quos distenderat , concretoque , conjunctis terreis multis ac tophaceis particulis inertis bili innexis arctius , & sic in scirrhosam indurari consistentiam ; facile quoque ob identitatem succi vicinas quoque glandulas alluentis , illæ quoque in mesenterio augmentur atque indurescunt . Quod & in liene frequentius observatur . Pro statu diverso , graduque mali convenienter aperientia , resolventia , diaphoretica , depurantia sanguinem , roborantia tonum , carminativa , discutientia , vulneraria , ac demulcentia , martialia , anticacheistica ; respiciendo semper ad statum sanguinis magis vel minus cacochymicum , humiditate vel prævalente , vel deficiente ; calore vel eminentiore , vel depresso , &c . Acidulæ saepè admodum proficuae , non semper tutæ ; maximè si laesio hepatis , vomicaque lateat &c . nec quicquam valent in tollenda induratione .

Herniam ad caput hoc referimus , utpote ad abdomen omnijure spectantem affectum ; est vero illud vocabulum æquivocum , nunc pro vera hernia , nunc vero pro tumore alio impropriè sumtum , qui eadem loca occupat ; unde bronchocele , colli hernia in scrophulis fundata

fundata ad hanc classem nullo planè jure aut respectu referri potest ; vera autem hernia in scroto potissimum detenta est , ita tamen , ut & iste locus admittat amplitudinem , cum enterocele , & enteroepiplocele à contento tumoris dicta vera hernia , ratione loci specialioris sit omphalocele , bubonocele , oscheocele seu hernia umbilicalis , inguinalis , ac scroti ; impropriè verò dictæ herniæ vocari solent hydrocele , pnevmatocele , sartocele , cirsocèle , sive hernia aquosa , flatulenta , carnosa , varicosa ; & hi scroti tumores propriè non sunt herniæ.

Aquosa autem dicta *hernia* non saltem in hydrope occurrit (uti passim practici loquuntur libri) in quo scrotum sæpe distenditur in molem stupendam , & ad crepaturam quasi usque , sed & per se sine hydrope , ubi etiam facilius utiliusque admittit paracentesin quam in hydrope , in quo administrata paracentesis scroti raro ægrum à morte liberat , quandoque & eam promovet acceleratque , et si etiam in hernia aquosa sine hydrope obvia paracentesis non nisi palliativam imperfeclamque promittat sanationem , cum teste experientia multiplici pluribus etiam vicibus iterum impleatur sero scrotum , nova paracentesi educendo , unde alii præferunt sectionem , & ipsius loci , unde extillatio seri fit , cum vicinis partibus arctam coalitionem sub recentis illius sectionis prudenti sanatione post suppurationem decentem , fonte sic ab ipsis obstrueto fundamentis , cuius quædam observavimus exempla à Chirurgo hac ratione plenè ac constanter liberatorum . Semel enim apertis viis ruptisque lymphaticis vasculis , lympha facilè iterum ad easdem depluit cavitates , quo diuturna confuetudine confluxit , ac ubi oscula sibi paravit quasi temporis mora callosa reddita , semperque novam stillantia lympham , nisi penitus ista ablata callositate ex fundamentis coalescant , accrescantque , recenti cicatrice vicinis membranis . *Carnosa* quoque *hernia* aquosæ haud raro conjungitur , imò & varicosa , ab illa haud adeò distinguenda solicite , et si in una epididymides magis ac spermatica vasa , in altera testiculus ipse afficiatur , mole eorum vel crescente , vel nova ipsis excrementia adhærente atque adnata augmento variæ , & nonnunquam stupendæ magnitudinis ; facile autem fieri potest in partibus adeò teneris , sensilibus , mollibusque , ut stases fiant humorum , rupturæ lymphaticorum , ex quibus extillans serum & stupendam in molem diversis gradibus colligi potest , distento incredibiliter scroto , & contrahere acrimoniam stagnando , fibrasque arrodere , aut humectatione diuturna contribuere ad excentias fibrarum , carnesque dehinc & luxuriantes , pro vario fibrarum nunc laxiorum , nunc tensio-

tensionum statu , majori semper facto affluxu , ac stasi humorum , partes magis magisque augmentum ac distendentium ; etsi non semper coniungantur aquosa hernia & carnosa , neque enim aquosam vocaveris qualem cunque , quæ & in carnosis pure talibus adesse queat , humiditatem ; carnosa verò pariter diversos magnitudinis , sed & duritiei gradus admittit , adeò ut & quandoque scirrhosam acquirat eam . Flatulenta quam vocant hernia , quamque infantibus sàpe evenire scribunt , ipso temporis tractu iterum absumentam , sola hac scroti infantilis flatulenta tensione ac repletione non absolvitur , sed adultis quoque solet evenire , quod à frigore potissimum observatum est , carminativis eam feliciter discutientibus , quæ internè externèque sedulò adhibita incarcерatos istos halitus flatusque potenter dissipant . Vera autem & propriè dicta hernia dicit tumorem ex abdomine ortum ac prodeunte , enatumque vel in alterutro inguine , vel descendente ad scrotum illudque vel in utroque latere , vel in alterutro saltem occupante , dum scilicet intestini portio , relaxatis processibus peritonæi protruditur , vel sola , vel cum omenti portione .

Fit sàpe talis processuum dilatatio , intestinique prolapsus subito & uno quasi impetu , sensibili etiam punctura ac quasi scissione quandoque percepta , vel pedetentim , motu progressuque tardiori , incrementa successivè capiens , ab exiguis sàpe initii , vix avellanæ magnitudinem excedentibus , auctis dein ad columbini , quin & gallinacei ovi , imò & longè majorem molem , quæ quandoque in malo diurno ac immodiaco vel capitis excedat magnitudinem , imò plurimum excedat , retracto genitali membro , ut vix conspici id queat , quod tum in hydrope , tum in hydrocele æque fit . Eadem verò & producunt hoc malum & augment , clamores , tusses , vomitus , ponderum elevationes , motus corporis enormes , externæ injuriæ , lapsus , equitatio incongrua &c . Frequens quoque infantum malum , sed facilius tollendum ligatura apta ; quò & conferre credunt mulierculæ transplantationes varias ; Neque viri ac adulti ullius ætatis excipiuntur , frequentiori tamen existente inguinali ac scroti hernia , præ umbilicali ; quæ æquè ac alia in aliis abdominis locis sexui utriusque evenire etiam potest , cum primis mulieribus à diffcili partu . &c . Mollis est tumor herniosus , scilicet in certo suo statu , ubi inclusum intestinum non nimis infarctum , incarcерatum , vel intussum est in angustias , ceditque pressioni introrsum factæ prudenti ac commodæ , si quidem cedere possit , nec stricta nimis sint vel impedita loca , per quæ debent regredi , maximè in supino ægri situ , pedibus magis elevatis locato ,

cato, ubi s^epe sponte retrocedit, vel intro adigi manu facilè potest, s^epe cum murmuribus ac fluctuationibus, quæ & percipiuntur in novo passim egressu & prolapsu, facilè enim erecto, commotoque fortius corpore iterum elabitur, non metuendo solum inde incommodo, sed potissimum periculo summo, neque sit securus æger, si talis hernia non statim elabatur, nec semper compareat, solet enim pro diverso relaxationis in processu statu ac gradu intestinorumque dispositione varia ac inflatione, non æquali ratione id contingere; nunquam tamen fidat æger illis facilitibus egressibus, ingressibusque, est enim imminetque hora incerta, qua prolapsum arte nulla, fomento nullo, vel enchiresi Chirurgica reponere valeas, uti forsan prius s^epe factum est; hinc præstat perpetuò ligatura commoda esse munitum, nec eam facilè deponere, ac talis præcipue requiritur machina, quæ inter quosvis femoris motus situsque applicet processui lamina elastica mediante commodum obstaculum, ut nunquam libera sit via. Interim inter decumbendum minus erit prolapsus timendus, à pastu autem, assumtis maximè cibis flatulentis, fermentescente cerevisia, adstricta alvo, turgentibus urgentibusque flatulentiis, & à frigore metuendum cavendumque est magis. Si reponi amplius non possint, præ foribus mors est, inflammatione mox accedente ac frigore extreñorum, convulsivisque tandem motibus: Emollientia primum in reponendo egregia sunt; internè carminativa, resolventia, discutientia, traumatica, consolidantia, adstringentia commendantur, unà cum decubitu quieto, quæ tamen omnia sine emplastro tenaci commodaque deligatione ulteriore impediente, præprimis mediante Elatere, prolapsum parum efficient; à compressionibus violentis cavendum: ad sectiones non facilè accedendum.

Nobilissimo Dn. Licentiato

S. P. D.

P R A E S E S.

Redit labor actus in orbem! nec sinit TE esse immemorem Veteris Instituti Divinæ nutus providentiaz. Primis statim Adolescentiaz annis

pharmaceuticæ arti navasti operam diligentissimam, abreptus verò amplioribus saluberrimæ artis deliciis Medicum Studium duobus jam abhinc lustris aggressus es, ejusque studium per vastissima artis profundæ spatia tum in Argentoratensi Lyceo, tum & in Alma hac Studiorum Matre alacriter decurristi ; Ansam dehinc in Austria , Hungariaque, nactus exoptatissimam provehendi Studia Tua, eorumque pleniorem attingendi maturitatem : donec felicibus auspiciis redux in Patriam , ad Pharmaciæ simul rediis penetralia , Tuâque Officinam in Inclyta Esslingensium Republica Pharmaceuticam cura atque attentione dignaris. Omni scil. Artis saluberrimæ apparatu instructus etiam hanc ejus partem Tuæ potissimum sedulitatis elegisti exercitium. Cedant isti conatus feliciter ! Nostri enim molem rerum hîc maxima obviarum varietate. Laboramus, non inopia quadam ac defectu remediorum, sed copiâ, selectum reddente perdifficilem. Et Galenica & Chymica, quæ in amplissimam hodiè artem coaluêre , pharmaca excrevere in immensum. Lynceus hîc sit oportet , quisquis in ista farragine recto incedens tramite felicitiora, certioraque. Latet hîc quoque vanæ plurimum persuasionis, suspenditur hedera haud raro quisquiliis, & consuetudinum, opinionumque, Tyrannis

rannis etiam in thecis pharmacorum, uti in vanitate vestium, atque in omnibus mortalium rebus violenter regnat. Sed bene est! Regnum hoc raro diuturnum est! Quod citò fit, citò perit. Aliás sane obrueremur elogiis fictis superbientium vana commendatione pharmacorum. Gensing Sinensis, eorum Putsiuk, Mongos Radix, Moringa Malabarica, natumque ex Tethiis, Holothuriisque Belilli, celeberrima primùm, jam quasi evanescunt, antequam ferè sint exorta. Eadem Liquetaiæ, Parirabrawæ, Kermes mineralis, aliorumque plurium fors fuit. Wakakam, Baniliæ Elæosaccharum, corticem Mecasuchil s. Baniliæ æmulum, Extractumque Thee Boy Luxui Hispanorum relinquimus. Quid Indica Gentiana in Febribus, Catacambræ Trochisci valeant in Hæmoptysi, in Ictero Saia Radix, virtute Anodyna Cortex Jubaba, Oleum Hupo anthelminatica, tempus docebit, fidaque experientia; cui & relinquimus præstantiam Cipo di Cameras seu sanguineæ Hypocacoanhæ, novum antidyfentericum nuces Ind. amaras, Vires olei Cajaputi in expellendis secundinis lochiisque, Balsami Rakasira præ Copayvæ Balsamo in Gonorrhœa virtutem, atque albi Peruvianorum Balsami summa elogia; maximè Terræ Tanzuc Sinensis Bezoardicæ stupendam yim, quæ suspecta meritò est, cum monito Ill.

Kœle-

Kœleseri de Kerefeer Cel. D.Schendo van der Beck
 Medicinum in hac Massa auro junctum , atque
 Euphorbium & gummi guttæ detexit. Absit ve-
 rò ut ista in opprobrium dicamus exoticorum ,
 quibus tantum debet Ars salutaris , commendà-
 re saltem dissentibus circumspetionem animus
 est, ne promiscuè credant magnificis , queis ornari
 nova solent , elogiis. Norunt quippe Exemplo
 Herbariorum quam faciles sint Scriptores in
 exaltandis viribus simplicium ; nec deerit qui vel
 ex Urtica Panaceam faciat ; eadem exoticorum ,
 cùm primùm Europæ inferuntur, sors haec tenus fuit,
 quorūm pleraque istas , queis cumulantur , laudes
 haud diu sustinent integras. Solus ferè Peruvianus
 Cortex satis neandum est vel laudatus , vel com-
 mendatus , sequiturque eum passibus non æquis af-
 finis Cascarillæ Cortex , utrique abusus Vulgi , &
 quorundam zelus (at ille non κατ ἐπίγνωσιν) inurere
 labem tentavit, ea tamen non obstante prudentiu-
 su , methodoque effert Cortex inter alia exotica
 mira quadam dignitate Caput ,

Quantum lenta solent inter Viburna Cupressi.

Sed retraho ex spissa hac Exoticorum Sylvâ pe-
 dem , calamumque ! ac Tibi , Nobilissime Dn. Li-
 centiate ex animo gratulor , apprecoque felicem
 destinationum Tuarum prosperrimumque ul-
 tra vota successum. Vale!